

lergi uocetur die Dominico proximo post nonam sub pena librarum trium pro quolibet.

Millesimo trecentesimo LVIII, die XVIII Junij.

5

Determinacio facta et capta super differentijs existentibus inter ser Titum Uenerio et heredes quondam ser Alexij Kallergi.

Capta. Quod assignetur terminus ser Tito et ser Marco Uenerio fratribus seu commissarijs, heredibus et successoribus quondam ser Nicolai Uenerio ad exigendum cauallariam del Castri usque unum annum proximum, ita tamen quod usque ad dictum terminum illi de cha Kallergi ipsam possideant et usufructent, et illi de cha Uenerio ad dictum terminum debeant presentare pecuniam pro qua empta fuit, scilicet yperpera VI millia in heredibus quondam ser Alexij Kallergi, dantibus eis ydoneam plezariam ad uoluntatem duche et consiliariorum Crete de respondendo pro ipsa cuicumque persona que cognosceretur habere ius in ea aut parte ipsius cum usufructu eius uel partis ipsius pro rata quantitatis et temporis. Et si usque ad dictum terminum non fuerit exacta, remaneat et catasticetur heredibus dicti quondam ser Alexij uigore gratie sibi facte. Uerum committatur duche et consiliarijs Crete quod si illi de cha Uenerio ipsam exegerint de expensis factis per ipsos de cha Kallergi in hedificijs et alijs melioramentis prouideant de illa recompensatione inter ipsas partes quam secundum Deum et equitatem uiderint conuenire. Et illud quod ipsi terminauerint solui debere per illos de cha Uenerio illis de cha Kallergi pro dictis hedificijs et melioramentis faciant statim solui et audiant dicti ducha et consiliarij non obstante sententia olim lata per ser Andrean Cornario ducham et ser Mapheum Emo consiliarium omnes personas que dicerent jus habere in dictis VI mille yperperis tam pro capitali quam pro usufructu. Et quod si ante ipsum terminum dicti de cha Uenerio ostenderint duche et consiliarijs habere jus in aliqua parte dicte pecunie, tantum minus teneantur presentare dictis de cha Kallergi quantum fuerit cognitum eis spectare, tam pro capitali, quam pro usufructu. Ita tamen quod in hoc casu ipsi de cha Kallergi non teneantur dare ullam plezariam pro residuo dicte pecunie, sed sit reseruatum jus suum quibuscunque personis que ullo tempore possent petere in eis. Et ex nunc declaretur quod gratia facta quondam ser Alexio Kallergi de possendo emere cauallariam predictam habeat locum et ualeat in filijs et heredibus dicti quondam ser Alexij in casu quo uendatur. Et si consiliarium, capitulare, uel commissio est contra etc.

10

15

20

25

30

35

31

Φο7οτο Νά γραφή εις τόν καπετάνον Ἀδριατικῆς Πέτρον Βασέγιον, ὅπως διατάξῃ τὸ ἐν τῶν τριῶν κατέργων Κρήτης, ὅπως ἐπανεέλθῃ εἰς Κρήτην πρὸς παροπλισμόν. 1358, Αὐγούστου 24.

